

NVPTIIS

CLARISSIMI DO-
CTISSIMI QVE VIRI,

Dn. IOHANNIS, Reuerendi Dn.
M. Christiani, aulæ Saxonicæ VII. virali quon-
dam à concionibus, F. Sagittarii,
artis medicinæ Doctoris, (pon-
si, celebratis

Cum

Honestiss. pudicissimâq; virgine Maria,
Clariss. ornatissimiq; viri, Dn. Hieronymi Schalleri,
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris celeberrimi, relicta
F. nepte excellentissimi ac singularis exempli viri
D. Casparis Peuceri, &c. Magni illius
Philippi Melancthonis pro-
nepte,

Carmina solenni votorum appreciatione nun-
cupata ab amicis.



Seruestæ typis heredum Bonauenturæ Fabri.
ANNO M. D. IIIC.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes the name "GEORGIUS" and the year "1710".





EYXH ΓΑΜΙΚΗ.



*Orpore disiunctus (quæ nunc
sunt tempora) votis
Præsens, coniugio grator
& ipse nouo.*

*Castâ fides mentis, vas corpo-
ris intemeratum:*

*Sunt bona, quæ nullum vincit in orbe decus.
Dotib. his, & sponse, & sponsa, excellitis ambo:
Quis vos ergo neget dotibus esse pares?
His ò sponsa parentis, aui, pro auiq; tuorum,
Et merita ipsa tui sponse stupenda patris
(Carminis hic ingēs campus) superaddere Vatū
Cura sit: ipse preces fundere pergo meas.
Viuite coniuncti sincero cordis amore,
Autori q; Deo viuite coniugij.
Sic vobis longos Christus benedicet in annos,
Et tandem in regnum transferet æthereum.*

M. VVolfgangus Amlingus.



*Ad Clarissimum & singularis exempli
virum, D. CASPAREM PEV-
CERVUM, &c.*

Hlle ego qui nuper tenebris & carceris umbra
Erepto, PEV cere, tibi, præeunte melodi
Isaidæ cithara, carmen modulatus auena,
Grata Deo parta persolui vota salute,
Lytra redemptori reddens; cui carcere visum est,
Teque tuamque fidem sic pertentare bilustri,
Septima vt explorat generosum flamma metallum,
Septima flamma probans spectatum vndante catillo;
Idem ego nunc neptisque tuæ generique iugali
Applaudens redæ, Solomonis vota retracto,
Ad Latiam recinendo lyram, quæ condita regi
Sancta Palaestino sunt olim carmina versu.

Si bene te noui, pietatis si satis ipse
Candorisque tuæ gnarus sum testis, & index,
Non hæc grata minus fuerint tibi vota, cerebro
Quàm si nata meo fluerent, heet illa cerebro
Sint quoque nata meo, Venusino reddita metro,
Languescens vt nunc tulit ætas, fractaque curis,
Quæ lepidos prohibet Musarum exprimere fetus,
Quos animi requies parit & pax læta Ieremi.

Sic eat: O rerum sic conditor, & fator aui,
Dulcia qui thalami sanciuit federa, primi
Pronubus ipse tori, generi neptisque secundo

Omine

Omne fortunet redas, & neeat ahenō
Vnammes vinclo, mortem quod soluere prater
Non vis vlla queat ferri, non saxa, nec ignes.

PSALMVS CXXIIX.

Beati omnes qui timent Dominum, &c.



Ter beatum, quem Domini timor
Recto gubernat tramite, nec sacra
A lege diuersum salebris

Deuius insinuauit error!

O te beatum, quisquis es! affatim

Nam te laboris, paupere quamlibet

Cum sorte, fenus prosperante

Numine alet; facilem ille large

Victum ministrans, ut bene sit tibi,

Cornuq; pleno copia suppetat,

Rumore vortant ut secundo

Quas geris &, dabit usq; rerum;

Ceu vitis almas palmite fertili

Maritat ulmos, aut viridi domum

Incingit amplexu stolonum;

Sic tua te sobolis feraci

Ditabit vxor germine liberum;

Mensam ambientum, termite uti suam,

A 3

Fallente

Fallente nunquam spem coloni,
Arborem oliua onerans coronat,
Hac sunt timenti numinis à Deo
Promissa vitæ commoda, que manent,
Euentibus rerum inuidendis,
Corde Deum ingenuo colentem.
Rector Sionis, celicolum parens,
Lauto bonorum te cumulo obruet,
Tuamq; causa, ciuitati
Quam colis, esse probè iubebit.
Florente pacis quò Solyma bonis,
Atque Israël's incolumi statu,
Natosq; natorumq; cernas
Progeniem pariter beatam.

Gregorius Bersmanus,



Ad Clarissimum virum, Dn. IOHAN-
NEM SAGITTARIUM,
Medicinae Doctorem, sponsum,
&c. amicum singulari-
ter carum.

Inter



Nter si dotes non est postrema maritæ,
 Progenitâ egregij sanguinis esse satû:
 Dotatas inter primû tua sponsa puellas,
 Iane, tenet, triplici iure superba, locum.
 Semine SCHALLeri cretam esse, est dos bene ma
 PEVceri neptem, gloria maior at hæc: (gna:
 Maxima sed, princepsque, MELANCHthonis esse
 proneptem.
 His addi poscis, Iane, quid vltcrius?

Iohannes Theopoldus.



ALIVD.



T decet & par est tudas celebrare iugales,
 Quas modo cum casta virgine, sponse, paras.
 Ad thalamumq; tuû gratâtem ducere Musam,
 Gratantem coeptis prospera quæque tuis:
 Hoc tua me virtus iubet, & communis Apollo,
 Et non vile mihi nomen amicitia.
 Hoc poscit columen studiorum grande meorum,
 Qui neptem iungit nunc tibi iure tori,
 PEVCERVS nostri decus admirabile secli,
 PEVCERVS lumen, Teutonis ora, tuum.
 Qui mihi, quam meruit, grata pietate coletur,
 Et permansura tempus in omne fide,

Cuius

Cuius inoblita hærebunt mihi munera mente,
Donec in hoc aliquis pectore sensus erit.
Quam iuuat ire tuæ per, sponse, insignia laudis,
Ingenij tam me conscia culpa vetat.
Quamuis poscat eam nullis non cognita virtus,
Spectatusque sacrae religionis amor.
Et Sophiæ liquido perfusum nectare pectus,
Atque Machaonia partus ab arte decor.
Quem pater ille tibi vatum, pater ille medentum
Contulit ingenij non sine laude pari.
Quà Rheni medius Basileam interluit æstus,
Quo nunc Pieridum sunt noua templa loco.
Quamque his profoceri cuperem quoque iungere laudes,
Si sinat hoc humeris sarcina iniqua meis.
Namque ego, non si Mæonij mihi spiritus oris,
Non si cum linguis pluribus ora forent,
Consequerer versu tot in vno pectore dotes,
Factaque perpetua laude vehenda viri.
Cui vix est alius toto æquiparandus in orbe,
Cui vix nostra vident secula laude parem.
Seu merita expendas, quib. illo haud clarior alter,
Ingenij euoluas seu monumenta libros.
Constantem seu mireris rectique tenacem,
Carceris insignem martyrioque fidem.
Non illi medicæ quis opis se laudibus æquet,
Vincere seu Coum se putet arte senem.
Seu sit opus cæcas morborum inquirere causas,
Seu prompta illorum damna leuare manu.
Quis melius rerumque obitus perspexit & ortus,
Et quæ naturæ munia cunque latent?
Quis melius stellas, vt quæque oriturque caditq;
Dixerit, & quo sol limite pergat iter?

Credo

Credo illum, nec vana fides, ab Apolline ductum
Esse per astriferi regia tecta poli.
Quid memorem prima scriptos ab origine reges,
Martia Teutonici quos tulit ora soli?
Romanas qui post aquilas, orbisque supremum
Imperium meritis promeruerunt suis.
Quæ retrò longos fuerant neglecta per annos,
Illius studio nunc reparata vigent.
Scilicet huic vni acceptum Germania debes,
Quòd te non patrum fortia gesta latent.
Huic debes, toto tua clarent facta quod orbe,
Lethæis nec dum merula feruntur aquis.
Dic age (sic vsque inde nouis ornere triumphis,
Imposito calces sic pede colla Scythæ)
Gratia quæ tanto reddetur iusta labori,
Quæ merito hoc possint premia digna dari?
Salue vir nostri clarissima gloria seculi,
Salue Pæonij lux columenque chori.
Semper honos laudisque tuæ præconia viuent,
Cumque his virtutis tot monumenta tuæ;
Dum natura suum seruabit fixa tenorem,
Vfus Apollinæ dum super artis erit.
Dum sol terrarum lustrauerit infima flammis,
Dum suus historijs & tribuetur honos.
Sed quid in has laudes tenui non ore canendas
Deferor? admittam siste Thalia ratem.
Mutua consortis celebramus sacra cubilis,
Vota decet festo debita ferre die.
Vt Deus, hæc socij quem primum federa lecti
Constat, & has leges instituisse tori,
Omne legitimos fausto fortunet amores,
Coniugibusque ferat gaudia mille nouis,

B

Felicesq;

Felicesque velit iugi connectere nexu,
Qui summum mortis duret ad vsque diem.
Ut neque concordēs animos lis dissona turbet,
Heu nimum focio lis inimica iugo.
Nec thalamum incestet luctu feralis Erinnyis,
Aut parilem infestet saeva procella fidem.
Nascatur soboles vt sanguine digna parentum,
Quæ maiorum æquet per sua facta decus.
Quæ spectata abauum pietate MELANCHthona prodat,
Haud tanto proles dissimulanda satū;
Cui nec prisca parem melioribus extulit annis,
Nec venturi ætas temporis vlla feret.
Nascatur proauī soboles haud laudibus impar,
Natalis pariter lumen honosque soli:
Materni referens & aui decus, atque paterni,
Quorum virtutis nunc quoque fama viget:
Et memori, nunquam moritura, vigebit in æuo,
Dum medicæ artis honos, dum pietatis erit.
Quæ precor, euentu firmabunt facta secundo:
Iustorum generi fata, DEVSQVE fauent.

Gregorius Petrus Berfmanus



Cento Nuptialis.

Præfatio.

Accipite hac animis, atq; hac mea figite dicta
Ambo animis, ambo insignes præstatib. armis,
Ambo florentes, sanguis quibus integer aui.
Tuq; prior, nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: quo iustior alter
Non pietate fuit: qui Phœbo digna locutus:
Flos veterū virtusq; virum, mea maxima cura
Nomine auū referens, animo & virtute parentē.
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus A-
pollo
Prædixit, pando, mihi iussa capessere fas est.

Cœna nuptialis.

Et iam tarda epulas fugientis tempora lucis
Poscebant: domus at regali splendida luxu
Instruitur, medijsq; parant conuiuia tectis.
Conuenere omnes, strato discumbitur ostro:
Dāt famuli manib; 9 lymphas, Cererēq; canistris
Expediunt, tonsisq; ferunt mantilia villis;
Regales epula mensis & Bacchus in auro
Ponitur, & Nymphæ celeres Muldalbides adsūt,
B 2 Nec

Nec non & trepida per limina lata Napea
Conuenere, toris iussa discumbere pictis,
Venit & agresti capitis Sylvanus honore
Florentes ferulas, & grandia lilia quassans.
(Ab pudet) his rebꝫ letis modo Hamadryas una
Abfuit, ut moriens alta liberaret in ulmo.
Postquam prima quies epulis, mensaq; remota,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant:
Fit strepitus tectis, vocemq; per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis.
Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocu:
At parte ex alia biforem dat tibia cantum.

Descriptio egredientis Sponsæ.

Nec non ad templū, summas Iunonis ad ades
Subuehitur magna matrum comitante caterua
Dona ferens virgo, Veneris iustissima cura,
Illam omnis tectis agrisq; effusa iuuentus,
Turbaq; miratur matrum, vestigia primi
Alba pedis, dederatq; comam diffundere ventis.
O quante memorē virgo? namq; haud tibi vultꝫ
Mortalis! nec vox hominem sonat! o Dea certē!
Ecce

Ecce venit diues magno noua nupta paratu,
Diu tior forma, quales audire solemus
Naiadas aut Dryadas medijs incedere syluis,
Si modò des illis cultus similesq; paratus;
Talis erat species, talem se lata ferebat.

Descriptio Sponsi egredientis.

Nec non & multi comites, pater inde
venustus

Incedunt: ipse ante alios pulcerrimus omnes
Infert se socium sponsus, tunc agmina iungit.
Hæc postquam sponso celebri miranda videntur:
Dum stupet, obtutuq; heret defixus in vna,
Laurea delapsa est; deceptus imagine formæ
Sic pariter vultusq;: ipsi plectrumq; colorq;
Excidit: at postquam est nupta data copia sandi,
Miratur virgo geminum ceu, lumina, sydus.
Et dignos Baccho digitos, & Apolline crines,
Vestitasq; genas & eburnea colla, decusq;
Oris & in niueo mistum candore ruborem;
Illum turbat amor, figitq; in virgine vultus:
Oscula libauit, dextramq; amplexus inhaesit.

Oblatio munerum.

Incedunt pueri pariterq; ante ora parentum
Dona

Dona ferunt sponso, conchas, teretesq; lapillos,
Et paruas volucres, & flores mille colorum,
Lilia, per pictasq; pilas, & ab arbore lapsas
Heliadū lacrymas, ornant quoq; vestibus artus.
Olli serua datur operum haud ignara Minerva,
Fertq; puer pallam signis auroq; rigentem,
Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaq; argento perfecta atq; aspera signis.
Iamq; adeo donati ambo, hinc opibusq; superbi
Puniceis ibant euincti tempora tanijs.

Epithalamium vtrique.

Tum studio effusa matres ad limina ducunt.
At chorus aequalis, pueri innuptaq; puellae
Versibus incomitis ludunt, & carmina dicunt:
O digno coniuncta viro gratissima coniux,
Sis felix, primos Lucina experta labores.
Fortunati ambo, siquid mea carmina possunt,
Viuite: secla suis dixerunt currite fuis,
Concordes stabili fatorum numine Parca.

Caspar Peucerus Bus
dils. Junior,

Aliud.



Ille SAGITTARI IANVS, quem patria virtus,
Et propria ex imo tollit in astra gradu:
Deffauia ad sacras procumbere dicitur aras,
Et sociam thalamis associare suis.
Deffauiam ite Dea, gens Veionis, ite Camoena,
Ite iocofarum triga decens Charitum.
Ite Cupido, Venus, comites, & pronuba Iuno,
Et queiscunque alijs est sacra teda Deis.
Ite Ioci & Ritus, mea Gaudia, & ite Leporum
Quicquid odorifero conditur Idalio.
Nec te Phoebe nega comitem, telisque relictis,
Et pharetra, Aeolij scribe melos fidibus.
Quisq; precare nouis fausta omina, & omnia, sponfus,
Et nostra hac votis iungito vota suis.
Viuite amore pares, & molli viuite fato,
Velle idem, idem vestros nolle ligent animos.
Conspirate fide, date fetum, implete penates,
Vt veteres multo germine fitis aui.
Aurea pensa, nihil tenebrofi habitura beent vos,
Deiphobæ & Pylij viulte vterque dies.

Volfgangus Girsingius
Argeliensis.

FINIS.







Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118



Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindermeister
Merseburg a. S.

VDA 7







XLIX.


*N***VPTIIS**

CLARISSIMI DO-
CTISSIMIQVE VIRI,
Dn. IOHANNIS, Reuerendi Dn,
M. Christiani, aulae Saxonicae VII. virali quon-
dam à concionibus, F. Sagittarii,
artis medicinae Doctoris, (pon-
si, celebratis

Cum

Honestiss. pudicissimaq; virgine Maria,
Clariss. ornatissimiq; viri, Dn. Hieronymi Schalleri,
Philosophiae & Medicinae Doctoris celeberrimi, relicta
F. nepte excellentissimi ac singularis exempli viri
D. Casparis Peuceri, &c. Magni illius
Philippi Melancthonis pro-
nepte,

Carmina solenni votorum appreciatione nun-
cupata ab amicis.



Seruestae typis heredum Bonsuenturae Fabri.
ANNO M. D. IIIIC.